



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimæ Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726**

**VD18 80217915**

Artic. IV. Deus volens SS. Virginem esse centrum suorum beneficiorum, & nostræ fontem felicitatis, vult quoque ipsam esse nostrum refugium, & singularem nostram spem, ac fiduciam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45581**

totâ Ecclesiâ. Quando Abraham & Loth nepos ipsius, diviserunt se ab invicem, Patruus ex bonitate suâ electionem reliquit nepoti suo. Hic longè latè que suos emittens oculos versùs regionem Jordanis, invenit ipsam adeò jucundam, ut summè placuerit ipsi videns irrigari illam copiosis aquis, quibus reddebatur fertilis & amœna velut alter paradysus terrestris: *Elevatis oculis vidit omnem circa regionem Jordanis, que universa irrigabatur, sicut paradysus Domini.* Attolle oculos tuos, illòsque emitte in omnem Sanctæ Ecclesiæ regionem, videbis illam ubivis irrigatam abundantibus gratiarum aquis, quibus fœcunda reddatur fructibus æternitatis; de quâ rectè diceret: Ecce tibi hortum Domini; Ecce tibi paradysum mundi. Sed alius te leva oculos, illòsque in cœlestem attolle Paradysum, videbis illic innumeram multitudinem eorum, qui coluerunt honeste fructus terræ, cumque illos tan-

dem messuerint, fruuntur jam æternâ illorum possessione in vitâ beatâ, ubi tot refulgent coronis, quot abundaverint hic operibus bonis. Hem! unde enascuntur omnes hi fructus? Euphrates produxit illos omnes. O flumen abundans! ô flumen jucundam, quod recolligere nos facis fructus omnium aliorum fluminum! E quo exoreris fonte, quòd tantis nos locupletes divitijs? diceret tibi: alius mihi non est fons, nisi ille aliorum trium fluminum; nescimus omnes ex fonte eodem Virginis uteri Sanctissimæ Matris Dei. Fons ascendebat de terrâ, & inde dividitur in quatuor capita. Ecce quomodo omnia habeamus in illâ & per illam. Non immeritò ergò dixi vobis ab initio, quòd Deus, cum fecerit illam centrum omnium beneficiorum suorum, illam etiam fecerit fontem omnis felicitatis nostræ: Quæ sentia, quos affectus inde debeamus elicere, videamus.

## ARGUMENTUM.

*Deus volens Sanctissimam Virginem esse centrum suorum beneficiorum, & nostræ fontem felicitatis, vult quoque ipsam esse nostrum refugium, & singularem nostram spem ac fiduciam.*

### ARTICULUS IV.

**C**um nunquam desideria nostra magis sint conformia sequitati, quàm quando conformia sunt consilijs Dei, non timeamus, dilapsuros nos in excessum, vel amando Sanctissimam Vir-

Virginem plùs quàm debeamus, vel honorando ipsam, plùs quàm mereatur, vel serviendo ipsi majori cum fervore, quàm velit Deus. Non angamur scrupulo, quòd nimium faciamus; quiddid facere poterimus, semper minus erit, quàm debeamus; Quis amare potest ipsam, quantum amavit JESUS CHRISTUS? amavit enim is illam magis, quàm totam suam simul Ecclesiam, id affirmante Sancto Anselmo. Quis honorare ipsam magis potest, quàm honoraverit is ipsam? Elegit eam in propriam Matrem suam, & profectus est ipsam omnibus obsequijs, quibus fidelissimus Filius profectus potest excellentissimam Matrem: Ubi est, qui majori cum humilitate aut fidelitate servire ipsi possit, quàm servierit ipsemet is ipsi? Nòane propterea per triginta omnino annos vitæ suæ, semper adhærere illi maximâ cum submissione voluit? Et erat subditus illis: Et nòne putas, hunc ipsi placitum magis, qui propius accesserit ad affectus amoris, reverentiæ & fervoris, quibus ipsemet in sanctissimam suam ferebatur Matrem? Non timeamus igitur, nos excessuros; adnitamur potius imitari JESUM CHRISTUM, quantum poterimus, in amore, in veneratione, in famulatu ipsius.

Objectiones occultorum ini-

Id equidem etiam sentiebam, sed quia legeram haud ita pridem certum quemdam libellum contra

hunc honorem Sanctissimæ Virginis famulatum, cuius abhorrebam malitiam: simulabam tamen, quasi ipsius opinionioni adhærerem, & audacter dicebam ipsi: Eja quæso, mi Domine, ne sic appropera, nec eò usque intromitte te; cave, ne totam incurras indiscretè devoti, tanto prosequens honore Sanctam Virginem: Ipsa non est Salvator noster, nec nostræ causæ salutis: JESUS CHRISTUS solus pretiosissimo sanguine suo nos redemit; non ingredimur per ipsam in cælum: JESUS CHRISTUS dicit nobis: *Ego sum osium*; per ipsam ingrediendum est, & ipse solus sufficit; ad quid ergò tantum confugere ad MARIAM? An deseramus fontem aquæ vivæ, ut fodiamus nobis cisternas, quæ continere non valent aquas? JESUS CHRISTUS non dicit: Venite ad Matrem meam: sed dicit: Venite ad me, & ego vos reficiam; non ipsa dat gratiam, sed hanc accipit; Non igitur ab ipsa hæc, sed ab eo, à quo hanc accipit, postulanda est. Denique ipsa non est Deus, non est ipsa Reparatrix mundi, non debemus ipsi felicitatem nostram, sed Filio ipsius Unigenito; ipsa vindicare sibi non vult, quod debitum est Deo; Cavendum igitur nobis est, ne tantos ipsi impendamus honores; abhorret enim sibi impendi illos, qui sibi non debentur.

Quid inquis, respondit mihi Viator meus, totus attonitus ad propo-

S. Anselmus, lib. de Excellent. Virg. c. 4.

Excedere non possumus in amanda & honoranda Sanctissima Virgine.

propositiones meas? Dum ita loquentem te audio, te magis evoluisse credo libros Hæreticorum, quàm illos Sanctorum Patrum: unde enim tam indigna, quæ promissis, depromeres sentia, nisi haussisses illa vel ex libris, vel ex colloquijs hæreticorum? an unicum solum è Sanctis Patribus hæc ratione audisti loquentem. Quis tibi dixit, Sanctissimam Virginem non esse causam nostræ salutis? An Sanctus Irenæus? Verùm nonne hic salutem & honorat ipsam, velut causam salutis totius generis humani: *MARIA universo generi humano causa facta est salutis.* Constat quidem, eum dicere non vellem, quòd ipsa hujus sit causa primaria & principalis, cum hæc gloria non congruat nisi soli JESU Christo; sed dicere vult, ipsam hujus causam esse secundariam & instrumentalem, quòd recipiens influxus causa primariæ, illos effundat super universum genus humanum.

Admiranda sententia Sanctorum Patrum de Sanctissima Virgine. S. August. serm. 18. de temp. Quis tibi dixit, nos per ipsam non intrare in cælum, operari nos posse salutem nostram absque illâ, nobis opus non esse toties confugere ad ipsam? Estne hæc mens Sancti Augustini, cujus auctoritas summa est in totâ Ecclesiâ. Lege sermonem ipsius decimum octavum, & videbis, quòd nuacupet ipsam, *portam cæli, scalam cælestem, per quam Deus descendit in terram, ut homines ascendere* R. P. Isaac. Consultat. Tom. III.

mereantur in cælum. Perpende bene, quid sentiat ipse de maximâ obligatione, quâ tenemur Matri Dei, eò quòd tam efficaciter cooperata sit ad nostram salutem; dum affirmat, quòd ipsius humilitas dederit vitam mortalibus, renovaverit cælos, purificaverit mundum, aperuerit paradysum, & liberaverit ab inferno animas hominum; An hoc inferat, quòd nihil contulerit ipsa ad nostram salutem, nobisque opus non sit tam instantem confugere ad ipsam?

A quo didicisti, non esse ipsam, quæ conferat gratias? si dicere velis, ipsam non esse illarum auctorem & causam primariam, consentio: verùm si arguas illam has non dare, eò quòd ipsamet receperit illas à Deo, malè concludis: an dicas, tibi pelvim non dare aquas, eò quòd receperit eas à fonte? imò potius non recipit eas à fonte, nisi ut postquam ipsamet impleta fuerit, tibi det illas? An consulisti desuper aliquem Sanctorum Patrum? si legisses insignem illam orationem, quam Sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus concinnavit de Zoenâ Virginis, invenisses ibi verba tam plena dulcere & unctione Spiritûs Sancti, quæ summâ legentes delinunt voluptate: alloquitur is Sanctissimam Virginem, ipsique dicit: *Nemo liberatur nisi per te, ô purissima! nemo accipit gratiam nisi per te, ô castissima! ne-*

Sanctissima Virgo accipit gratiam, ut illam nobis donec

S. Germanus orat. de Zoenâ Dei- paræ.

mo obtinet salutem, nisi per te, o pudicissima! An hic Pater tuæ opinionis erat, quod Sanctissima Virgo nullam det gratiam?

S. Cyrillus  
hom. in  
Concil.  
Episcop.

Quis dixit tibi, ipsam non esse reparatricem mundi, ipsamque honorari non velle hâc ratione, & sub hoc titulo? si legisses homiliam, quam fecit olim Sanctus Cyrillus, coram celeberrimo confesso plurimorum Episcoporum, auscultasses salutari ipsam ab eo verbis tantâ plenâ reverentiâ simul ac Majestate, ut proficisci non possent nisi ex corde amore erga ipsam plenissimo, & ex animo, zelo gloriæ ipsius plurimum accenso: *Salve Virgo*, inquit illi, *per quam Sancta Trinitas in universo mundo glorificatur; per quam cælum exultat; per quam universa creatura ad veritatis cognitionem deducta est; per quam gentes adducuntur ad poenitentiam; per quam Apostoli salutem gentibus predicaverunt.* An melius exprimere nobis potuisset opinionem suam? Dicere per hoc voluit, quod Sanctissima Virgo verè esset Reparatrix totius mundi, incipiens ab honore, quo illustrari facit Sanctissimam Trinitatem, usque ad salutem, quam obtinet miseris infidelibus: An credamus, displicuisse ipsam Sanctissimæ Virgini, dum insignivit ipsam omnibus hisce gloriosius Encomijs?

Plures ob-  
jectiones

Pruriebat animus Viatori nostro, citandi adhuc longam seriem

Sanctorum Patrum, ut caruisse-  
mus sine, nisi interpellassem ip-  
sum. Verum est, aiebam illi, om-  
nia volumina Sanctorum Patrum  
referta esse Elogijs Sanctissimæ Vir-  
ginis; & credo etiam, legisse me  
in illis talia, quæ magis adhuc vi-  
dentur inusitata illis, quæ attuli-  
sti; verum hoc sit urgente ipso-  
rum zelo, non ausim dicere india-  
screto, dicam, procul dubio pau-  
lisper excessivo; locuti enim non  
sunt nisi hyperbolicè; & tituli  
tam magnifici, quibus ipsam con-  
decorate nituntur, non sunt nisi  
vana blandimenta, quæ Sanctissi-  
mæ Virgini placere non possunt,  
cum ipsa sit humillima, & velis  
laudem sibi exhibitam simplicem  
esse & moderatam. Non amat ip-  
sa titulos tam splendidos atque  
pomposos, nec delectatur vanis hi-  
sce & excessivis blandimentis, quæ  
sapiunt hyperbolem.

Vix finieram, videbam Raphë-  
lem meum, qui assuetus non erat  
auscultare carentem me hoc mo-  
dulo, hârore veluti profus atto-  
nitum: aspiciebat me oculo immiti-  
ti & paulisper severo: Bene video,  
inquit, te non effari propria tua  
sensa, & valde metuo, ne legeris  
libellum quemdam diffamatorum  
contra honorem Sanctissimæ Vir-  
ginis evulgatum, & contra reve-  
rentiam, quam debemus Sanctis  
Patribus, quos tu arguis velut Hi-  
perbolicos, malletem fermè dicere,  
velut mendaces, cum hyperbole  
-sz.

adversatio-  
rum San-  
ctissimæ  
Virginis

Relig.  
foli-  
veru

sæpius non sit, nisi mendax quædam Exaggeratio.

Falsus sum ipsi, detestari me in corde meo id, quod ore pronuntiabam, meque propterea nullam pati conscientiæ redargutionem: Credo imitari me paulisper in hoc Dominum nostrum JESUM Christum, qui voluntariè ornavit se peccato alterius, ut responderet pro eo, & ipsemet illius in personâ suâ portaret supplicium; pergo adducere tibi pessima sensa alterius, quasi essent mea, ut afficias tu me opprobrio & confusione condemnando illa, & acriter meos arguendo errores. Ne parcas mihi.

Responsum  
solidum &  
verum.

Nonne verum est, Sanctos Patres plenos esse hyperbolicis locutionibus, dum verba faciunt de Sanctissima Virgine, & ideo magni æstimanda non esse ea, quæ vel dixerunt, vel scripserunt de illâ? Non, respondit mihi, in nullo excefferunt, sed potiùs omnes minùs adhuc dixerunt, quàm dicere debuissent. Ultra progredior, & ampliùs quid dico; nec ipsos, nec quemvis alium dilabi posse in excessum, quando est quæstio de extollendis magnificentijs Sanctissimæ Virginis: Ratio est, quod certissimum sit, ipsos laudare nunquam velle in illâ, quod habet ex semetipsâ; hoc enim esset laudare nihilum, cum ipsa pura sit creatura, quàm traxit Deus è nihilo non minùs, quàm omnes alias;

non ergò laudant ipsi in illâ, nisi admiranda omninò dona, quæ accepit à Deo, & ideo omnes laudes, quas tribuunt ipsi, refunduntur in Deum veluti in suum principium; & quantò majores hæ fuerint, tantùm abest, ipsas injurias esse Deo, ut potiùs ipsius adaugeant honorem; sicut si aliquis princeps sublimaret aliquem ex suis amicis, quantò magis laudarentur divitiæ & honores, quibus affecit ipsum tantò magis illustraretur gloria & magnificentia Principis, qui hæc ratione suum exaltavit dilectum:

Excessus devotionis, reposui ipsi, desleçit facillè in superstitionem; metuendum est, ne magna hæc elogia, quæ incessanter & ubique tribuuntur Sanctissimæ Virgini, deducant populos in plures errores, illòsque successivè præcipientes agant in idololatriam; magis enim confugiunt ad ipsam, quàm ad Deum, sæpiùs precantur ipsam, quàm Deum, & majorem collocant fiduciam in ipsam, quàm in Deum, & JESUM Christum: Nonne timendum sit, illos tandem credituros ipsam majorem Deo, vel Deo saltem æqualem, quod abominanda foret idololatria? Ne metuas hoc, respondit mihi; non ampliùs reperire est temporibus nostris, Colliridianos in mundo, qui credant Sanctissimam Virginem alterum esse Deum, sicut hi hæretici vj professionis suæ credebant;

Nemo ita excedit in devotione erga Sanctissimam Virginem, ut credat ipsam esse Deum.

ex omnibus hæreticis, qui affixerunt Ecclesiam, his nulli citius evanescere. Erat devotio nimis quam ruditer effabricata, effingere falsam velle nobis Deum, id est, imaginariam pro verâ Matre Dei; simplicissimi quique non sinebant in hoc se decipi; nemo est modò, qui nesciat, Sanctissimam Virginem non minùs esse creaturam ex naturâ, quam omnes alias, sed magis arctè unitam esse Deo per gratiam, quam cæteras omnes.

Eccur ergò, dicebam ipsi, magis confugiatur ad ipsam, quam ad Deum? Nonne hic abusus est? Eccur plures dirigantur ad ipsam orationes, quam ad Deum? Nonne hæc quædam est superstitio? Eccur plùs collocetur fiduciæ in ipsâ, ac spei de obtinendâ salute suâ, quam in JESU CHRISTO ipso? Nonne hoc est impium? Sanè, respondet mihi, si confugere ad ipsam, velut ad Deum, non solum foret abusus confugere magis ad ipsam, quam ad Deum, sed crimen foret abominandum, semel tantùm in totâ vitâ suâ sic confugisse ad ipsam: Vel si eadem ad ipsam dirigerentur preces, quæ diriguntur ad Deum, non solum foret superstitio precari ipsam, plùs quam Deum, sed ingens foret scelus, semel tantùm in vitâ suâ ita precari ipsam: vel tandem si collocaretur in ipsâ spes ac fiducia, eâ ratione, quâ collocatur in JESU CHRISTO non solum foret error,

confidere plùs in illâ, quam in JESU CHRISTO, sed execranda foret blasphemia, vel levissimam in illâ collocare suæ spem salutis. Verùm infinitum discrimen est inter modum, quo agitur cum Deo, & modum, quo agitur cum Virgine Sanctissimâ. In quo ergò consistit hic modus? interrogavi ipsum. Ecce eum tibi, reposuit Viator noster.

Confugio ad Deum, velut ad Creatorem meum, ad Salvatorem meum, & ad Judicem meum; hæc ratione neutiquam confugio ad Sanctissimam Virginem; Confugio ad ipsam velut ad Dilectam Creatoris mei, ut quæ magnâ poleat apud ipsum potestate; confugio ad ipsam, velut ad Matrem Salvatoris mei, cui is nihil denegare possit; confugio ad ipsam velut ad potentissimam Advocatam apud Judicem meum, ut quæ sedate & mitigare valeat ipsius iracundiam, quam peccatis meis non immeritò irritavi contra me: An mirum sit, si agnoscentes indignitatem nostram comparendi coram Majestate Creatoris nostri, coram auctoritate Salvatoris nostri, coram severitate nostri Judicis, recurramus ad illam, quam novimus ipsi tam esse acceptam? An argui possumus vel superstitionis, vel erroris, si potius ad ipsam, quam ad ipsum confugiamus, eò quòd semper ultimato recurramus ad ipsum per ipsius intercessionem?

Idem dico de precibus & confiden-

Confugi-  
tus ad De-  
um & San-  
ctissimam  
Virginem  
modo val-  
de distat

Quin di-  
plicem  
Deo, si-  
pius or-  
possem  
Sanctissi-  
Virgine  
quam ip-  
sum.

fidentiâ; si precarer Sanctissimam Virginem, sicut precor Deum, committerem idololatriam: verum & hic infinita intercedit differentia; precor Deum, ut ignoscat mihi peccata mea; precor Sanctissimam Virginem, ut illorum mihi impetret indulgentiam: Precor Deum, ut concedat mihi gratiam consequendi salutem meam; precor Sanctissimam Virginem, ut mihi hanc gratiam à Deo obtineat, & salutem meam procuret. An argui merear, si sine intermissione ad ipsam, confugiam cujus auctoritate confido obtinere omnia à Deo, pluresque ad ipsam dirigam preces, quam ad Deum ipsum? Nonne sollicitatus indies ipsos, qui nobis ferre opem possunt, pro favore suo, quo pollent apud Principem, ipsosque precamur sæpius, quam Principem ipsum? An hujus propterea incurrimus offensam? Non, quia novit se semper esse, quem mediante suo precamur dilecto.

Et quod spectat ad fiduciam & spem salutis, eadem statuenda tibi est differentia inter illam, quam habemus erga Deum, & eam, quam habemus erga Sanctissimam Virginem; diversissima enim utramque afficit natura; & videbis, abesse tantum, quod injuria fiat Deo, si quis omnem suam ponat confidentiam, maximam suam spem in intercessione Sanctissimæ Virginis, ut potius hoc sit ipsi præstare obse-

quium, ipsi fidelissimum exhibere homagium, eoque hoc proficiatur ex profundissimâ reverentiâ, quâ divinam ipsius Majestatem prosequimur, & ex cognitione indignitatis nostræ, quæ cum diffidat obtinere se posse ab ipso, quod novit se non mereri, potentem inquirat Mediaticam, quæ suam suppleat infirmitatem ac impotentiam. Probè novi gratias esse in manu Principis, hasque ab ipso postulandas esse; sed quia non habeo tantam spem, tantamque confidentiam ipsemet obtinendi illas, recurro ad ipsius amicum, ad eum, qui majori valet apud ipsum gratiâ, & summam concipio fiduciam, ipso intercedente, obtinendi illas; ipse efficiet plus verbo unico, quam ego pluribus simplicibus libellis.

Comprehendes utique jam bene, & approbabis sensa & affectus Sanctorum Patrum: illum Sancti Bernardi loquentis ad Religiosos suos de Sanctissima Virgine; *Filii, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ*; per quod vult dicere: tota mea spes quasi innititur illi, & potenti ipsius intercessioni; Et Sancti Anselmi dicentis: *Nonnunquam velocior est salus invocato Nomine MARIE, quam invocato Nomine JESU.* Non vult ipse per hoc Matrem præferre Filio, nec etiam inter illos instituire comparisonem, quod culpâ non careret; sed tantum vult di-

Ooo ; cere,

Quare magis confidamus, recurrendo ad Sanctissimam Virginem, quam recurrendo ad Deum.

S. Bernardus serm. 98. in Cant.

S. Anselmus lib. de Excellent. Virg. c. 6.

Quin duplicem Deo, scilicet orare possimus Sanctissimam Virginem, quam ipsum.



cere, quòd citius obtineatur à Deo, quod ab ipso petitur per Intercessionem Sanctissimæ Virginis, quàm si petitum fuisset ab ipso absque hujus Intercessionis subsidio.

Excusa, quantum volueris, omnes has agendi rationes, sed post omnia, interrogavi ipsum, an in discretionis non arguas aliquos devotos, qui amore magis tenero, magisque sensibili Sanctissimam Virginem amant, quàm Deum ipsum? Procul dubio, respondit mihi, non arguo ipsos, nec arguere possum: Amor tener & sensibilis non est perfectus amor, nec est ille, quem requirit à nobis Deus in magno præcepto Legis suæ; præcipit ipse & vult amorem spirituales, supernaturalem, & supremum super omnes affectus & sensa naturæ; & perfectus hic amor nec sensibilis est, nec tener, sed fortis est, stabilis atque firmus; sensibilitas & teneritudo, quam certæ animæ experiuntur erga Sanctissimam Virginem, non infert, quòd ipsam magis ament Deo, sed potius ostendit infirmitatem, quàm perfectionem amoris, eòquòd manifestet adesse hic aliquid humanum & naturale, ipsùmque non purè esse divinum. Appellatur sexus scæmineus, sexus devotus, eòquòd scæminæ magis sint teneræ, magisque sensibiles, quàm viri, in devotionibus suis; sed hoc non innuit, quòd majori effervescent amore erga Deum, quàm viri, qui

carent hâc teneritudine, hâcque sensibilitate.

Sanctus Bernardus admiratur in hoc bonitatem Dei, qui, cum videret, naturam nostram non inclinari à se ipsa, nisi ad amandum sensibiliber, voluit per admittendam benignitatem eòusque se demittere, ut fieri sensibilis Homo dignaretur, similis nobis, quatenus conferret nobis medium amandi se sensibiliber simul & divinè; sicque amor noster contentaret ipsum, nosque consolaretur: Contentaret ipsum, quia divinus est, nos consolaretur, quia sensibilis est; & bonitas ipsius tanta est, ut esse voluerit parvus Infans, & abundare in hoc statu; tam suavibus illecebris ut ipsas emollirent & flecterent Petras: Super omnia habere voluit Matrem creaturarum omnium amabilissimam; ut ex utraq; parte nobis esset, unde jucundè nutrireus amorem sensibilem & divinum: Sensibilem, eòquòd Mater & Filius sint gratissima, quæ sensibus proponi possunt, objecta; & divinum, eòquòd horum objectorum unum sit Deus, & alterum divina ipsius sit Mater. Quot invenire est, quibus scateat cor amore hoc sensibili? Quot scæminæ & Virgines devotæ sunt erga Infantem JESUM, quem amant amore valde sensibili? Quot aliz plurimùm sensibili erga Virginem Matrem feruntur devotione? An argui & reprehendi possit amor

Potest enim  
ri JESU  
Christus &  
s. æd. illa  
ipsius Mater  
sensibiliter  
& divinè.

hic

hic sensibilis & divinus? Procul dubio non; eodquod Deus ipse hunc impertiatur, exhibendo se nobis in statu, in quo divinè & sensibilibiter amari possit. Sed cavendum est, ne sensibilis magis sit, quàm divinus, nec sibi persuadeant animæ, se majorem habere Sanctitatem, vel perfectiorem amorem Dei, quàm aliz, eodquod plùs habeant teneritudinis, plùs sensibilitatis.

Tantam hauriebam voluptatem ex verbis Viatoris nostri, ut obli- visceret proponere ipsi unam maximarum indiscretionum, quas reprehendi audiveram in devotione erga Sanctissimam Virginem. Se- positis h's omnibus, dicebam ip- si, immeritò tribuuntur ipsi tam insignia tamque magna elogia; non oblectatur ipsa excessivarum harum laudum divulgatione, cum glossis & interpretationibus, qui- bus inutiliter excusantur: Non au- cupatur ipsa pomposos hosce titu- los, nec vana hæc blandimenta; non nisi simplicem ac moderatam sibi dici vult laudem, quæ nihil contineat, quod excessivam sit & hyperbolicum. Optima cogita- tio, inquit mihi, omnis generis excessus reprehensibiles sunt, in quacunque materiâ inveniantur, eodquod vitio careant nunquam. Si committitur excessus in laudibus, quibus exornatur Sanctissima Vir- go, reprehendendus est, & præ- laudendus: Et si per impossibile

excessus committi posset in nimio cultu, quo afficitur Deus, esset moderandus, aliàs non posset ipsi esse acceptus. Verùm excessus me- tuendus est nullus in laudibus San- ctissimæ Virginis, eodquod certum sit, nos nunquam exhibere illi pos- se minimam earum partem, quas meretur. Insuper dicis, quod, cum ipsa sit humillima creatura- rum, non aucupetur elogia hæc pomposa, quæ non sint nisi vana blandimenta; quodque amet lau- dem, quæ simplex sit & modera- ta. O quàm præclaram mode- stiz regulam, quâ rescindantur ex- cessus!

Cavendum igitur erit, ne no- minetur Mater Dei, cum hic ti- tulus sit omnium, quibus conde- corari potest, pomposissimus & splendidissimus: Dicendum ergò tantummodò erit, quod sit humi- lis ancilla Domini: Ecce laudem simplicem & moderatam. Non amplius nuncupanda erit Regina, Sanctorum omnium; hic titulus nimium quantum est magnificus; asserendum duntaxat erit, quod mereatur accenseri catalogo San- ctorum: Ecce tibi laudem simpli- cem & moderatam. Non amplius præsumendum erit, ut dicatur, ip- sam esse gratiâ plenam, ipsamque solam tantum illius accepisse, ut sufficeret ad procurandam salutem omnium hominum, uti Sanctus s. Thom. Thomas dicere est ausus, hic illo- rum titulorum est unus, qui blan- dimen-

Excedi non potest in laudibus Sanctissimæ Virginis.

Responsa, quæ confundunt adversarios Sanctissimæ Virginis.

Opusc. 11.

dimentum sapit & hyperbolem : affirmandum tantummodò erit, ipsam satis habuisses gratiæ, ut suam procuraret salutem ac beatitudinem : Ecce tibi laudem simplicem ac moderatam : Omnia, quæ ipsi tribui possent elogia, habentia quidquam Eminentiz super alias mulieres, forent tituli nimium pomposi, quibus ipsius offendarum humilitas. Hoc idem omninò est dicere, quòd dicunt hæretici, nihil occurrere discriminis inter Sanctissimam Virginem & feminas cæteras.

Abominanda consequentia, quæ deducuntur ex opinione adversariorum Sanctissimæ Virginis.

Prosequere & deduc ulterius discursum tuum, pergit Viator noster, & dicit, quòd veræ humilitati non sufficiat evitare magna laudum Encomia, sed quod ipsa met inquirat & amplectatur contemptus, quòdque tantò perfectior sit humilitas, quantò magis ambit opprobria, despiciatur & injurias : Et quia humilitas Sanctissimæ Virginis perfectissima est quæ unquam fuerit in purâ aliquâ creaturâ, onera ipsam cunctis blasphemijs, & quibusvis injurijs atrocissimis, ut ipsi te magis acceptum exhibeas, respondendo perfecte votis ipsius humilitatis : Dic quòd impij plures hæretici, ipsam fuisse peccatricem, & damnationi obnoxiam : Dic quòd detestandus Spagenbergius, ipsam commisisse crimen, quòd ulturus sit Deus supplicio æterno : vel dic cum infami Atenio, ipsam promeruisse

damnationem æternam : Ecce quæ ratione futurus non sis è devotorum illorum indiscretorum numero, qui attribunt ipsi titulos nimium pomposos, qui non sint nisi vana blandimenta ; & evadens per hoc in bonum & verè devotum Sanctissimæ Virginis clientem.

Ita extendere poteris devotionem tuam ad reliquos Sanctos ; hinc quia & hi humillimi sunt, cavendum tibi omninò erit, ne attribuas illis aliquam laudem, quæ ipsorum offendarum humilitas, sed potiùs, ut huic satis facias, onerare te illos oportebit pluribus injurijs ac opprobrijs. Accede tandem ipsum JESUM CHRISTUM, de quo certum est, quòd ipsius humilitas absque comparatione major fuerit humilitate omnium Sanctorum, & etiam illâ Sanctissimæ Virginis : inquirendi igitur erunt pro ipso majores adhuc contemptus, majores adhuc opprobria, ut huic tantæ satisfacias humilitati. O Deus ! quàm consequentias abominandas trahunt post se falsa hæreticorum principia !

Quid reponerem ad hoc, non habebam, probè videns discursum Viatoris nostri æquum esse, verissimum & irrefragabilem : hinc nō lens in hærete ulterius tam impio Contradictionis genio, rogavi ipsum, ut stabiliret & confirmaret in animo meo reverentiam & veram devotionem, quam fovere debeam,

debeam, erga Virginem Sanctissimam: Promisit mihi, sed id facturum in proximâ Consultatione nostrâ: Sed quod hæc ultima

futura esset, quàm ad longum tempus inter nos poterimus habere: Et sequens fuit.

\* \* \*

## CONSULTATIO XV.

*Portus Salutis certus, ubi ostenditur, quòd anima verè Virgini devota quasi certa sit de Salute sua.*



Observavimus, valdè à longinquo accelerare quempiam ad nos gradum, qui non obscure demonstrabat vehementem conveniendi nos desiderium, ob vim, quam inferebat molli ac ponderi suo naturali: nescivimus primò, quisnam esset; nihilominus viciniorem nobis factum agnovimus, esse bonum illum virum Sanctissimæ Virgini devotum, quem paucis abhinc diebus defendimus contra eos, qui ipsius illudebant devotioni: Summè urgebat incessum, vixque coram nobis aderat, inquietudine ejus superante ipsius civilitatem, cujus non admodum expertus erat, quin otium sibi sumeret nos salutandi, incepit tremulâ nobis dicere voce.

Hem! quæso succurrite mihi, ferte mihi opem, totus sum extrame, perditus sum, nisi me adjuvetis: animus charitativi nostri Via-

R. P. Isaac Consultus, Tom. III,

toris mox tangebatur compassione; unde peramanter eum complexans interrogat ipsum: Quid tibi est, mi Pater? noli affligi; Ecce patatos nos, ut consolemur te: Tantò percussus sum terrore, respondit Senex, ut parum absit, quin moriar. Hem! Unde ergò venis? Replicuit illi Viator: Nescio, reponit bonus Vir; credo me fuisse in inferno. Hoc manè precabar Deum & Sanctissimam Virginem, cum præter morem aliquantò citiùs surrexissem; nescio an dormierim, an animo defecerim, credo tamen me non dormissem; habebam bonas cogitationes de Sanctissima Virgine, & flagrabam desiderio, ut omnes honorent ipsam. Et ecce videbar mihi illicò (ò bone Deus, pavore emorior, dum recogito!) videbar mihi cecidisse in abyssum quandam, ubi nihil videbatur; audiebam quidem strepitum, at neminem videbam; descendebam ad-

Visio horribilis circa inimicos Sanctissimæ Virginis.

P p p huc